

DISCUSSIO ITERATA QUAESTIONIS:

An matrimonio mixto, cujus ante conjunctionem cautiones sunt pollicitae ecclesiasticae, parochus catholicus (salva conscientia) benedicere possit etiam tunc, quando nupturientes modo coram ministro protestantico matrimonialiter contraxerunt?

S I V E:

Num licita sit recopulatio catholica post validam copulationem protestanticam in Germania?

Quantis, quis nostrum nescit, periculis sit plenum, sulcare magnum et spatiosum in re matrimoniali mare theologiarum quaestionum? Si rari nantes in gurgite vasto, rariores, qui hac in materia unam haud dubitanter arripientes sententiam, illam sine offendiculo persequi possunt constanter. Etenim

Dextrum Scylla latus, laevum implacata Charybdis obsidet.

Cum me, anno superiori, matrimoniis mixtis licitis Dissertatione singulari benedictionem aut potius post peractam in templo protestantico nuptialem solemnitatem, catholicam recopulationem recusando, non infima pars Nostratum rigidioris disciplinae proclamavit patronum; Ephemerides Lovanienses duce Dre. Feye dixerunt me nimis benignum sacrorum canonum decretorumque pontificiorum interpretem. Illis ergo si nimis rigidus, his si nimis benignus? Quid ergo? Mediamne me iniissem, gratulari mihi forsitan possem? Id quidem serio astruere

non audeo; verum nec aegre fero doctam Lovaniensium interpellationem immo Tibi, doctissime Feye, victas libenter darem manus, quia Tua et recensione et dissertatione, etsi aliquantulum mihi contraria, magis retunditur quam agitavi, mala praxis, quare Tibi verbis divi Hieronymi respondere non dubito: „Non solum te vicisse existimes, vicimus utrique, uterque nostrum palmam refert; tu mei et ego erroris (malae praxis). Utinamque mihi sic semper disputare contingat, ut ad meliora proficiens, deseram quod male tenebam. Unum tibi confiteor, quia mores meorum apprime novi, facilius eos vinci posse, quam persuaderi (*). — Sileamne igitur? Minime gentium. Cum enim Dnus Feye quaedam a me in Dissert. asserta vel non bene intellexit, vel non recte interpretatus est, habeo, quibus et Feye et mea dilucidem sensa, quibus et quasi manu ducar ad castigandam novis virgis malam illam recopulationis catholicae praxin.

§ 1.

Quaenam sit benedictio nuptialis ordinaria et propria!

Placet Doctori Lovaniensi nuptialem benedictionem dispescere in solemnem et simplicem, quae et ordinaria et propria est et in verbis consistit: *Ego vos conjungo etc.* „Distinctio haec, addit, solemnem inter et ordinariam propriam benedictionem est *essentialis*.“ Essentialem illam esse, facile credimus, in aula Scholasticorum, qui sibi eam finxerunt et elegerunt in demonstrationis methodo ad expediendas tricas sat difficiles. Sed Scholastici in rebus ad antiquam disciplinam spectantibus miserabiles nobis sunt testes. Nos non sumus tantum theologi, sed et Archaeologi, et mos est eorum, pro rebus disciplinariis et requirere et proferre testes. Quos ergo, mi Feye, pro hac distinctione essentiali profers ex antiquitate aut ex ecclesiasticis documentis testes, quibus credamus? Scias, nos sequi

*) Dialog. adv. Luceferian. Tom. II, oper. edit. Vallarsii pag. 202.

regulam S. Augustini criticam. Ait enim: „Aliis testibus vel testimoniis, quibus aliquid credendum esse suadetur, tibi credere vel non credere liceat, quantum ea momenti ad faciendum fidem vel habere vel non habere perpenderit“ *). Ne igitur vitio vertatur nobis, si hanc sine testimoniis prolatam rejiciamus distinctionem. Hodiernis non sufficit Theologis et Archaeologis usitata alias Scholasticorum decidendi methodus: *ita communis*, sed pressiora teste Tertulliano **), apud nos testimonia disciplinae ad probationem veritatis accedere debent. — Illam, forsitan inquires, distinctionem non inveniri apud antiquos Patres aut scriptores, a multis tamen saeculis esse apud Theologos usitatum. Apud quos Theologos? Non apud Principes, Petrum Lombardum Sententiarum Magistrum, Thomam et Bonaventuram, Hugonem a S. Victore et Paludanum, Joannem Scotum, si illos, quos consului, recto oculo legi. Ab horum autem tramite posteros aut recentiores multum deviasse, futes inutilesque distinctiones excogitando norunt omnes, qui in historia Theologiae Scholasticae non sunt peregrini.

Rejicimus ergo brevi manu illam datam Distinctionem et admittimus unam tantum nuptialem benedictionem, quae et ex sensu Ecclesiae ordinaria est et propria, formulamque illam: Ego vos conjungo etc. concedimus ut formulam *conjunctionis*, non autem *benedictionis* nuptialis. Sane „Benedictio est, ut Ambrosius ait ***), sanctificationis et gratiarum votiua collatio;“ quamobrem benedictio nuptialis constare debet verbis, quibus gratiae, quas Deus neonuptis spondit, significantur et spirituales et terrenae. Omnes enim, ut Gretserus agens de benedictione nuptiali †), precantur sponsis uberem a Deo gratiam, faecunditatem, concordiam, pacem, mutuum amorem et id genus alia. Sed nemo erit, ut arbitror, qui negare

*) Epist. 167. ad Paulin. Tom. II. edit. Maurin. pag. 475.

**) Libr. de praescript. Cap. 44. pag. 57. edit. Semlerian.

***) De benedictionib. Patriarch. Cap. 2. Tom. I. edit. Maurin. p. 515.

†) De Benedictionib. Cap. 43. Tom. V. oper. p. 275.

audebit, nuptialem benedictionem constituisse et constare de-
 buisse precibus votivis et sanctificationibus expressis. Quis enim
 ignorat Evaristi Pontificis verba, quis Nicolai I. responsa, qui
 testantur, nuptialem benedictionem peragi precibus Sacerdotum
 et oblationibus? Canones quoque Nicaeni, quos adfert Har-
 duinus in Concil. collect. *), decernunt Cap. 6: „Exigit Deus
 ab omnibus christianis tam viris quam mulieribus, ut matrimo-
 nia sacris celebrent benedictionibus et precibus, quoniam his
 mediantibus licita sit virorum et mulierum copula.“ Et sic
 saepe his in canonibus repetitur, quod nuptiarum celebratio fiat
 benedictionibus, et precibus. Mitto plura alia, ne in re nota
 longius detinear. Nunc autem quis dicat, quibus verbis sancti-
 ficativis, quibus precibus votivis constet haec quam Doctor Lo-
 vaniens. ordinariam et propriam dicit benedictionem, formula:
 Ego vos conjungo? Assignat tantum, si recte eam intelligo,
 et quidem ex mente Ecclesiae et Concilii Tridentini, ut infra
 videbimus, junctos esse Sponsos in facie Ecclesiae in Nomine
 Patris et Filii et Spiritus S. Non me quidem latet, in aliqui-
 bus Germaniae dioecesis addi verba: *benedico et ratifico*,
 sed et haec tanquam complementum ordinariae benedictionis
 nuptialis quae vel praemissa est, ut in Archidioecesi Coloniensi,
 vel sequitur. Si quis vero eam tunc dicere velit *simplicem*,
 per me licet, sed non *ordinariam et propriam*: Ordinaria enim
 et propria merito dicitur, quam Ecclesia ordinarie et proprie
 in nuptiarum celebrationibus adhibere solet; Illa autem for-
 mula, tantum abest, ut eam Ecclesia adhibuerit, ut prioribus
 saeculis, nempe ante Scholasticorum aetatem omnino fuerit incog-
 nita. Ipse enim Canonista belga, Zegerus Van Espen obser-
 vavit modo, formulam antedictam: ego vos conjungo etc., re-
 centioris esse aevi **). Doctissimus tamen Martene latius rem
 declarat, ait enim libr. 1. de antiq. Ecclesiae ritibus ***):

*) Tom. I. pag. 511.

**) Tom. I. Jur. eccles. Part. II. Sect. I. Tit. XII. Cap. 6. n. 11.

**) Cap. 9. Art. III. § 6. p. 608. Tom. II.

Inaudita apud antiquos erant illa verba parochi: *Ego vos conjungo etc.*, in quibus aliqui ex recentioribus Scholasticis formam hujus Sacramenti constituunt, quae tamen desiderantur in duobus antiquis Ritualibus ms. Beccensis monasterii, in Pontificali Senonensi annorum 300, in antiquo rituali Bituricensi et in aliis pene omnibus, quae a nobis postea exhibentur, quibus adjungere possemus Constitutiones Richardi Episcopi Sarum anno 1217 editae Cap. 56., in quibus haec lego: (Item praecipimus, quod Sacerdotes doceant personas contrahentes hanc formam verborum in Gallico vel in Anglico: Ego N. accipio te N. in meam. Similiter et mulier dicat: Ego accipio te in meum. In his enim verbis consistit vis magna et matrimonium contrahitur). Quod, ut Reverend. Gerbertus observat, spectato contractu verissimum est *). Quod hic testatum dedit vir lectissimus Martene ex Ritualibus, id et nos testari possumus ex Conciliis, in quibus non ante sextum decimum saeculum, quo Generale Tridentinum est celebratum, formula dicta: Ego vos conjungo etc. nobis occurrit. Ipsi pariter Decretorum Collectores omnes hanc formulam ignorant, cum alias ipsis in titulis minutula afferunt. Mirum sane omnibus subire debet, quod hanc formulam, si benedictio nuptialis esset ordinaria et propria, nullus Romanorum Pontificum, nullum Concilium, nullus Collector canonum, ne dicam praescriberet, sed non commemoraret, cum tamen saepissime de benedictione nuptiali agunt.

Quam ergo, inquires, intelligunt benedictionem? Illam, quam Sacramentarium Leoninum, Gelasianum et Gregorianum praescribit et his verbis incipit: *Pater mundi conditor, nascentium genitor, multiplicandae originis institutor etc.*, aut quam alii ordines habent apud Martene et Gerbert, et incipit verbis: *Deus, qui potestate virtutis tuae de nihilo cuncta creasti etc.* ubi initium duntaxat variat, caetera autem ex Sacramentariis romanis sumpta sunt. Diversa ab his est benedictio

*) Liturg. Alemannic. Disq. V. Cap. V. Tom. II. pag. 513.

Sacramentarii Gallicani apud Mabillonium celeberrimum *). Praeter hanc benedictionem nuptialem christiana antiquitas nullam aliam novit, haecque fiebat regulariter infra Missam. Extra Missam enim rarissime antiquitus celebrabatur actio nuptialis. „Postea tamen, ut Binghamus docet **), quum leges fierent christianae, nec statim aliqua daretur expressa regula, qua generatim omnes compellerentur nuptias sub benedictione clericorum celebrare; sed adhuc aliae viae essent licitae, tanquam sufficientes ad matrimonium faciendum legitimum sine ea; homines ab institutis majorum desciscere coeperunt, alii quidem ex hac, alii ex alia ratione, donec prisca et vetusta nuptias celebrandi ratio inter christianos gradatim despiceretur et negligetur.“ Attamen nostra est opinio, quod si quis sacerdos nuptiis extra Missam interfuit et benedixit, ea hoc in actu ipse usus fuerit benedictione, quam habet Sacramentarium.

Observandum porro est, quod in illis ordinibus, qui ante sextum decimum saeculum sunt editi et apud Martene leguntur, in quibus formula: Ego vos conjungo etc. occurrit, ipsa non ut benedictio ponatur, sed ut declaratoria conjunctionis factae; post hanc tunc sequebatur benedictio nuptialis vel infra vel extra Missam. Consulas, velim, Ordinem VII. apud Martene, qui est Rotomagensis, Ordinem XII., qui est Lemovicensis, Ordinem XIII. Rhemensem, tandem Rituale Mediolanense Ord. XV. Hos anno 1494 excepit Albertus Castellanus Ord. Praedicat. in Rituali, quod inscripsit Sacerdotalis, a se confecto, in quo haec leguntur verba: „Contrahentibus respondentibus se nec affines, nec consanguineos etc. Sacerdos pronuntiet verba, quae sunt forma hujus Sacramenti: Ego vos conjungo.“ Nullam autem hic Sacerdotalis obtinuit Auctoritatem, ut Papa Benedictus XIV. in Epistola ad Cardinal. Guadagni anno 1755 exarata et libr. VII. de Synod. Dioeces. Cap. 15. observat.

*) Musei. Italici Tom. I. pag. 388.

**) Origin. et Antiquitat. eccles. Tom. IX. libr. 22. C. 4. pag. 339.

Delabimur tandem ad generale Concilium Tridentinum et ad Rituale Romanum Pauli V., ad quae appellavit nosque remisit Doctor Lovaniensis. Praescribit Tridentinum Sess. 24. in Decreto de reformatione. „Denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiae procedatur. Ubi parochus, viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: *Ego vos in matrimonium conjungo in nomine P. et F. et Sp. S.*; vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque provinciae ritum.“ Quod autem Tridentinum hanc formulam velit haberi, non ut benedictionis, sed ut ecclesiasticae conjunctionis, concludo ex sequentibus verbis. „Praeterea eadem sancta Synodus hortatur, ut conjuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent; statuitque benedictionem a proprio paroco fieri. . . . Quod si quis parochus, vel alius sacerdos . . . alterius parochiae sponsores sine illorum parochi licentia matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit; ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.“ Ecce, quam caute Tridentinum conjunctionem nuptialem a benedictione disjungit. Dicit enim: *conjungere aut benedicere, qui matrimonio interesse debebat aut a quo benedictio suscipienda erat.* Conjunctio fiat hac formula: *Ego vos conjungo*, vel aliis verbis, benedictio autem in templo juxta Sacramentarium. Ubinam autem Tridentinum hanc formulam dixit *benedictionem*?

Hanc Distinctionem inter conjunctionem et benedictionem omnia fere observant post Romanum Ritualia. Romanum enim habet: „Mutuo igitur contrahentium consensu intellecto, sacerdos jubeat eos invicem jungere dexteram, dicens: *Ego conjungo vos etc.*“ Hic non praescribitur: *benedicens*, sed simpliciter *dicens*. Sequitur: „His expletis, si benedicendae sint nuptiae, Parochus Missam pro sponso et sponsa, ut in Missali Romano celebret,“ ubi et conjungitur post Canonem benedictio. Pasto-

rale Joannis Hauchini Archiepiscopi Mechliniensis, quo decem fere annis usus est Episcopatus Coloniensis ante Agendam Ernestinam, a Hovio recognitum et ad usum Romanum accommodatum, ante annuli benedictionem habet ejusmodi formulam conjunctionis, et postea benedictionem extra Missam. Sic enim Rubrica: „Si sint primae nuptiae sponsae, flexis genibus devota cum gratiarum actione suscipient benedictionem sacerdotalem, Parocho dicente.“

Benedictionis forma.

Domin. Vobiscum. R Et cum Sp. tuo.

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus qui primos nostros parentes conjunxit in Paradiso: ille vos in Christo + benedicat, + atque in societate saneta viventes, crescere faciat in sobolem incolumem. Per eundem etc.

Alia Benedictio. Domine Deus omnipotens, qui conjugalem conjunctionem in Christo et Ecclesia magnum esse Sacramentum voluisti: benedicere + digneris adolescentes illos conjuges tuos, et semina semen vitae aeternae in mentibus eorum, ut, quicquid pro utilitate sua facere didicerunt, hoc facere cupiant. Per Dom.

Deinde subjungit Psalmum 127. *Beati omnes.* Gloria Patri etc. Kyrie eleison etc. *Pater noster.*

Et ne nos inducas etc.

Salvos fac servos etc.

Exaudiat vos Dominus in die tribulationis.

Protegat vos nomen Dei Jacob.

Mitte eis Domine auxilium etc.

Domine exaudi Orat. — Dominus vobiscum.

Oremus. Respice Domine super hanc conjunctionem et sicut misisti etc.

Oremus. Omnipotens sempiterna Deus, qui primos parentes nostros etc.

Bene + dicat vos Deus, et custodiat + vos Jesus Christus; ostendat faciem suam in vobis et misereatur vestri. Amen.

Detque vobis suae dilectionis dulcedinem et saeculi praesentis felicitate laetari. Amen.

Collato etiam gaudio filiorum, post hujus peregrinationis decursum conferat vobis habitaculum coelestium mansionum. Qui vivit et regnat Deus in Saecula Saeculorum. Amen.

Benedictio † Dei Patris omnipotentis, et Filii et Spiritus S. descendat super vos, et maneat semper. Amen.

Postremo aqua benedicta novos conjuges aspergat, dicens: Aspergat vos Deus rore gratiae suae, in vitam aeternam. Amen.

Pergit Rubrica. Quia vero matrimonium, quod conciliat Ecclesia, ipsa confirmat oblatio sacra: his peractis, novi conjuges honestiori loco collocati, audiunt Missam, quae uti in Missali Romano. “

Ergo haec benedictio, sine formula: ego vos conjungo etc. aut simili, ante Missam facta est et hac complebatur omnis celebratio nuptialis. Eodem fere modo, etiam sine formula: ego vos conjungo etc. aut simili Agenda Ecclesiae Moguntinensis de anno 1551 praescribit ritum nuptialis celebrationis; primo Missam sacerdos legit. Post finem Missae, Contrahentes ante Altare se inclinent, ubi saltem fuerit consuetudo: si autem non fuerit consuetudo, sola sponsa accedat, si fuerit virgo. Sacerdos dicat Psalmum: Beati omnes etc. — Gloria Patri etc.

Kyrie eleison etc. Pater noster etc.

Salvos fac etc.

Mitte eis Domine etc.

Domine exaudi orationem etc.

Oratio. Creator Coeli et Terrae, qui primos parentes nostros Adam et Evam etc.

Dein Evangelium Joannis legetur: *In principio etc.* Et ex tunc super virginem et sponsum detur benedictio dicendo:

Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus S., trinus et unus vobiscum sit, et ipse conjungat vos, impleatque bene † dictionem suam in vobis: Crescite et multiplicamini et replete

terram. Et benedictio Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus S. descendat super vos et maneat semper. Amen.

Tunc post Psalmum: *Beati omnes*, dimittantur et solum sequens dicatur oratio: Praetende, quaesumus, Domine etc.

Diximus superius, formulam laudatam in nonnullis quandoque poni Agendis sive Ritualibus aut partem aut Complementum benedictionis nuptialis, ex quo quisque facile colligere potest, eam separatim positam non formare benedictionem propriam et ordinariam. Id observare licet in Antiqua Agenda Wormatiensi, sine loco et anno edita. Praescribens enim nuptialem celebrationem extra Missam, praemissis aliquibus orationibus habet: „*Benedictio*, sub Rubrica: sed in secundis nuptiis omittat:

1) Deus Abraham, Deus Isaac etc.

2) Respice Domine, super hanc conjunctionem etc.

3) Benedicat vos Deus Pater etc.

Deinde apprehendens manus sponsi et sponsae committit sponsam sponso et e converso salubribus exhortationibus subiungat:

4) Auctoritate, qua fungor, matrimonium inter vos contractum: confirmo et conjungo. Benedictio Dei Patris † et Filii † et Spiritus S. † descendat super vos. Et quod Deus conjunxit, homo non separet sine rationabili causa.

Deinde dat eis aquam benedictam.

Ultima verba: *quod Deus conjunxit, homo non separet*, in aliquibus Agendis praescripta invenimus loco formulae: Ego vos conjungo etc. Quis autem in iis benedictionem ordinariam et propriam cognoscet?

Tandem ut nostram concludamus disquisitionem de benedictione ordinaria et propria, pro coronide addimus hanc argumentationem. Si formula asserta revera in sensu Ecclesiae esset benedictio ordinaria, concedendum est, secundas nuptias, cum in iis adhibetur haec formula, ordinarie et proprie benedici, quod autem Sacri Canones sub poena suspensionis severe

prohibent, quia primae sunt benedictae et, ut nonnullae Synodi habent, quod Sacramentum hujusmodi iterari non licet. En dilemma: Sive ergo formula non est propria et ordinaria benedictio, sive nuptiae secundae ordinarie et proprie benedicuntur.

Rituale Romanum non habet peculiarem ritum pro celebratione nuptiarum secundarum, quare idem ritus, qui cum formula: Ego vos conjungo etc. pro celebrandis nuptiis *generaliter* praescribitur, etiam in secundis et tertiis observatur. Signum evidentissimum, quod haec formula: Ego vos conjungo etc. vel similis, ab Ecclesia Romana non habeatur ut vera, propria et ordinaria benedictio nuptialis, praesertim cum in praevia instructione dicitur; „Caveat parochus, ne, quando conjuges in primis nuptiis benedictionem acceperint, eos in secundis nuptiis benedicat.“ Alii libri rituales, qui peculiarem ritum pro secundis nuptiis addunt, ut supra citatus Mechliniensis, et Trevirensis de anno 1574. Moguntinus de anno 1599. Wirceburgens. et alii praescribunt statim post auditum nupturientium consensum formulam istam: Ego vos conjungo etc. cum sola oratione: Praetende, quaesumus, Domine. . . Aliquando additur Psalmus: Beati omnes etc. Et hoc brevi ritu peraguntur secundae nuptiae.

Hoc primum differentiae punctum, ut fusius et accuratius, ac ut spero, non in taedium Lectoris, tractarem, impulit me laudatus Doctor Lovaniensis Feye, qui mihi, dum formulam illam: Ego vos conjungo etc. in priori Dissert. mea permiseram in celebratione nuptiarum, quae licitae putantur, mixtarum, visus est erronee imponere, quasi concederem iis nuptiis benedictionem ordinariam et propriam, quam tamen expressis verbis non una tantum vice explosi, et specialiter pag. 44. Equidem utor ibidem verbo: benedictione solemnem, quo forsitan deceptus est Dominus Feye, sed quam dixi solemnem, mox eadem pagina dico *catholicam*, quia in ea fui semper opinione, eam, si sermo sit de benedictione nuptiali, esse in sensu Ecclesiae intelligendam, quae precibus constat votivis sacrisque sanctificationibus, non simplici formula conjunctionis,

quae hic indicativa, illic deprecativa et juxta varias dioeceses varia est, et secundum mentem Concilii Tridentini varia esse potest, dummodo per eam, ad quod ipsa tendit, matrimonium declaretur in facie Ecclesiae coram qualificato et authentico ministro esse contractum.

§ 2.

Assistentia activa illustratur.

Sat sapienter scribebat in illa fatali, qua viximus, Epocha ad excellentiss. Cultus ministrum Berolinensem Domin. L. B. de Altenstein Reverendissimus Trevirensis Episcopus Dominus Josephus de Hommer. dd. 4. Octobr. 1832: „Quod attinet copulationem sponsorum diversae confessionis, video in concessione Brevis, nominatim in concessa Assistentia sine benedictione initium novae rei formationis, cujus ulterior progressio et explicatio illi ipsimet est relinquenda“ *). — Novimus omnes, et non est necesse, ut nota repetamus, qua arte tortum fuerit Breve apostolicum, sufficit illud ansam dedisse sive directe sive indirecte sive veram sive fictam, novae formationis rei matrimonialis in regno Borussico, si nupturientes diversae sunt confessionis. Nec mirum subeat, quod Reverendiss. constituat illam novam formationem in concessione assistentiae sine benedictione. Ipse enim nos in alia quam anno 1822 qua Vicarius Generalis dedit, instruit epistola, quomodo ab anno 1787 (NB. a Congressus Emsani tempore) in Trevirensi Archidioecesi actum fuerit in matrimoniis mixtis: „Si praestitum fuerit juramentum de educandis sine discrimine sexus prolibus in religione catholica, sine ulteriori dispensatione nuptiae *ritu solito* benedicuntur“ **).

*) Was die Trauung verschiedener Confessionsverwandten betrifft, so sehe ich in der Concession des Breve — namentlich in der gestatteten Assistenz ohne Einsegnung — den Anfang einer neuen Gestaltung der Sache; die weitere Entwicklung muss aber ihr selbst überlassen bleiben. Apud Roscovany Tom. II. p. 247.

**) Apud Roscovany l. cit. p. 173.: Consule etiam Kopp, die kath. Kirche im XIX. Jahrh. Mainz, 1830. S. 250.

Propter novam hanc formationem nos quoque in priori Dissertatione novam proposuimus distinctionem, quae quidem in ipso fundata est Brevi Apostolico, sed in eo non producit aut commemoratur verbis expressis. In Brevi enim agitur de assistentia passiva, quae praestari permittitur, si nupturientes non admiserint aut dederint cautiones requisitas, et quidem, ut recte notavit Dominus Feye, ne nuptiae contraherentur coram ministro protestantico, quod multis ex titulis gravius est peccatum. Passivae adjunximus nos activam assistentiam et inde duplicem admisimus in nuptiis mixtis assistentiam; in illicitis passivam, in licitis activam. Passiva est quasi coacta; observat parochus, quae aguntur et dicuntur, non autem praestat verbo vel aliquo actu assensum. Non igitur sese agit geritque ut ministrum Ecclesiae et dispensatorem mysteriorum Dei, sed ut testem dati mutui consensus. Assistentia activa est voluntaria, quanquam non sine displicentia, quia nuptiae mixtae, quanquam instructae omnibus postulatis, et ipsi catholicae Ecclesiae displicent. Ecclesia mater in matrimoniis mixtis ita se gerit, sicut pater aut mater naturalis erga filium filiamve, non secundum eorum parentum voluntatem conthoralem sibi eligentem. Displicet electio, quia non omnino placet conthoralis, sequitur tamen consensus parentum, ne forsitan ex denegatione consensus gravius oriatur incommodum. Ita Ecclesia nuptias mixtas sibi displicentes, quia illas omnino tollere non potest, permittit ut licitas, postquam iis omnem, in quantum potest, subtraxerit succum malum per conditiones praescriptas. „In ejusmodi enim caussis, scribebat olim S. Augustinus ad Bonifacium *), ubi per graves dissensionum scissuras non hujus aut illius hominis est periculum, sed populorum strages jacent, detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis caritas sincera subveniat.“

Hanc tamen assistentiam activam non ut regulam generalem aut principium quoddam proposui, ut Dominus Feye

*) Epist. 185. Tom. II. pag. 660.

in principio Recensionis supponere videtur, sed ut medium aptum compositionis, proponens minus malum, ut proscriberem majus. Quis enim sapiens regulam aut fundamentum jacet, cum ad finem venerit aedificii aut Dissertationis? De assistentia enim activa in Dissert. mea ago § penultimo, postquam docuerim, mixtas nuptias, etiamsi licitas, nunquam benedictione esse honestandas. In nonnullis enim, ut supra audivimus, Germaniae partibus viguit modo praxis, mixtis nuptiis non tantum assistendi, sed etiam ritu solito benedicendi, quae praxis auctoritatem quandam assecuta videtur post Breve Pii VIII., seu potius post conventionem illam Berolinensem et instructionem pro Vicariatibus. Hanc ipsam quoque tuitus est amplissimus Praepositus Aquisgranensis in judicio suo theologico sensu Brevis Apostolici, ubi ait: Allein sollte der Pfarrer bei günstigen Eheverlöbnißnissen sich nicht zur Spendung der benedictio nuptialis entschliessen? Der Verfasser hat das freudige Bewusstsein, dass es gemischte Ehen gibt, worin dem katholischen Gatten rücksichtlich des Cultus und der Kirchengebote nicht das mindeste Hinderniss in den Weg gelegt, die Kinder katholisch erzogen und alle eingegangenen vorehelichen Bedingungen gewissenhaft erfüllt werden. Auch wird es für die Zukunft noch immer Fälle geben, wo ein kluger Pfarrer mit dem besten Erfolg das katholische Interesse wahrnehmen kann: warum sollte er nunc bloss assistentiam passivam leisten, und nicht die Solennisation der Ehe vornehmen dürfen? — Pergit dein Praepositus Aquisgranensis ex ipsius Brevis Apostolici constructione suam confirmare sententiam, utique erroneam. Qui error est ortus, quia assistentiam activam discernere nescivit a benedictione nuptiali propria, sed hanc cum illa confundit, sicut nostra in Germania Ritualia plerumque benedictionem assistentiae adjungunt, aliter ac Rituale Romanum, quod generaliter primo praescribit ritum assistentiae, et benedictionem ad Missam, quae statim legenda est, remittit. Ego inde in priori Dissert. assistentiam activam, qualem habet Rituale Romanum juxta praescriptum Concilii Tridentini, asserui matrimoniis mixtis, si

necessariis omnibus sint munitae conditionibus et cautelis, benedictionem autem, etiam extra Missam abnegavi.

Hic alteram, antequam progrediar, Domini Feye criminationem, falsae mihi objectae citationis, ut brevi responsione relevem, necesse ducō. „Falso, ut id obiter observem — scribit Feye — provocat Binterim hoc loco Rituale Romanum (pro matrim. mixtis) quod supra numeratos, nonnisi pro celebratione matrimonii ex integro catholici praescribit ritus.“ Amabo! ubinam asserui, Rituale Romanum praescribere aut insinuare ritus pro matrimoniis mixtis? Sane me non tam distractum puto, ut hujusmodi quidquam scriptis, multo minus typis darem. Mea argumentatio haec fuit et analogica: Ritus, quos pro celebrandis nuptiis generaliter praescribit Rituale Romanum, non continent juxta assertionem Benedicti XIV. caeremonias quasdam, quae observari non possunt in secundis nuptiis aut tempore clauso contrahendis, ubi benedictio nuptialis et solemnitas est interdicta; sic ergo iisdem ritibus — haec mea conclusio — peragi possent, si licitae sunt nuptiae mixtae. Si erronee me ita argumentasse dixisset Dnus Feye, ferre possem accusationem, minime autem, quod falso citassem. In prima accusatione est error, a quo me alienum non esse puto; in secunda est fraus literaria, quam tota mente horreo.

Nolo, ut quis concludat, me ideo consurexisse in iras contra Dnum Feye, qui id *obiter* scripsisse scio. „Congredi enim, verba sunt S. Basilii *) — cum viro eadem sentiente et Patrum fidem (canonumque decreta defendente, uti ex Dissertatione Dni Feye elucet) est profecto ad priscam ecclesiarum beatitudinem reverti.“ Praestat ergo continuare dilucidationem. Ipse Dominus Feye non renuit, quam proposui, assistantiam activam sed cum ea simul conjungit benedictionem ordinariam et propriam, quem errorem supra rejecimus. Docuimus enim benedictionem non semper conjunctam esse ex Rituali Romano cum assistentia activa. Illud etiam docet Scr. Congregationis

*) Epist. 172. Tom. III. oper. edit. Garnerii pag. 260.

Consultor Hieronymus Baruffaldus *) qui scribit: „Quamvis enim sit, quod stet aliquando matrimonium sine benedictione, attamen benedictio sine matrimonio non datur.“ Porro et ipsi licitis matrimoniis mixtis denegat Feyerabendiam assistentiam activam, imo et passivam tantum asserit toleratam; et ad quaestionem nostram: quatenus tunc sit differentia mixtas licitas inter et illicitas, respondet in sua Dissert. pag. 240. „At, dixerit aliquis, quid igitur discriminis erit inter matrimonia mixta illicita et licita, si in utroque casu assistentia mere passiva praestari potest? Discrimen adest latissimum. Principii enim loco est, quod in matrimoniis mixtis illicitis parochi assistentia etiam passiva interdicitur **); tolerata quidem in nonnullis regionibus est ob adjuncta prorsus extraordinaria et difficillima, sed quis huius tolerantiae sensus sit, satis explanatum est superius (pag. 197. Dissert.). Testantur scilicet ipsi Pontifices, nonnisi ob adjuncta omnino deploranda quaeque exceptionis loco habenda sunt, et ne graviora rei catholicae mala eveniant, se eam tolerantiam adhibere. Sic Pius VII. pluras exigebat conditiones, ne *approbationem sapiat tolerantia* ***)) et Gregorius XVI. „sanctissime coram eo, cujus oculis omnia nuda et aperta sunt, profitetur, se ad eandam tolerantiam ea tantum de causa adduci, seu verius attrahi, ne graviora Ecclesiae catholicae incommoda obveniant“ †). Principium itaque est, severe eam assistentiam interdici, si agitur de matrimoniis mixtis illicitis.

Contra vero, principium est, matrimonio mixto licito parochum passive assistere posse; principium est, inquam, et exceptionem non patitur. Quin imo Benedictus XIV. de licito matrimonio mixto loquens, ait: „In iis locis atque regionibus,

*) Commentar. ad Rituale Roman. Tit. 41. § 14. N. 159. p. 241.

**) In instructione 12. Septbr. 1834 ad Episcopos Bavariae manifesto hoc edicitur; Gregorius XVI. in Brevi de 27. Maji 1832 assistentiam etiam passivam prohibuerat, in cit. autem instructione legitur, ita a Gregorio ad sacrorum canonum et constantis Ecclesiae disciplinae normam declaratum sancitumque fuisse.

***)) In instructione pro Ducatu Clivensi.

†) In instruct. de 12. Septbr. 1834 ad Episcop. Bavariae.

ubi hujusmodi matrimonia aliquando sic contrahi permittuntur, expedit omnino, ut Episcopus, ad tuendum Ecclesiae decorem, ritus in eorundem connubiorum celebratione servandos opportune prudenterque praescribat.“ Haec tamen Benedictus de ritibus non sacris intelligit, sed vult ut in re gravissima, qualis est celebratio matrimonii, ordine omnia fiant, et ne modus assistendi omnino relinquatur arbitrio parochorum, ex quo certe difformis praxis oriretur, et abusui facilis praeberetur accessus, ex quo utroque capite Ecclesiae decor pateretur. Ceterum ipse Benedictus mentem suam clare explicat, quum immediate post illa verba sequantur ea, quibus excludit benedictionem nuptialem ordinariam et celebrationem in Ecclesia, ea tantum permittens, quae ad valorem matrimonii sunt necessaria; et velut exemplum indigitans matrimonium Henrietae, sororis Ludovici XIII. regis Gallorum, cum Carolo I., rege Anglorum, haeretico, quod, uti ait, contractum fuit extra ecclesiam, coram Cardinale Magno Eleemosynario Franciae, a quo tamen benedictio nuptialis data non fuit.“

Haec quidem omnia docta sunt et sapienter enucleata, attamen nostram quaestionem directe non attingunt nec solvunt. Quaestio est, an parochus matrimonio mixto licito, etiam licite assistere possit assistentia activa. Docuimus etiam supra, assistentiam passivam esse coactam, activam vero voluntariam. De passiva non est, cur multum disseramus; de activa igitur res est. Cum ejusmodi cultus disparitas est impedimentum ecclesiasticum *impediens*, potest utique Ecclesia vel Pontifex iustis ex causis id tollere vel in eo dispensare. Ad nos hic non pertinet inquirere, quam graves esse debeant causae Dispensationis et Tolerantiae. Scimus, disciplinam hisce in rebus esse mutabilem, et causae, quae ante ducentos annos non sat graves visae Pontificibus, ut hoc in impedimento dispensarent, hisce nostris temporibus gravissimae videri possunt, quia mutatus est status regionis, mutata sunt tempora, mutati sunt populi, igitur et disciplina aliquid mutanda, et sicut dolemus, in pejus mutata esse multa, ita et dolemus, quod ob pravitatem

temporis aut populorum nimis relaxanda sit disciplina, ne antiquus rigor magis noceat quam aedificet. Cum igitur nuptiae mixtae, in et cum quibus dispensat Pontifex, remoto jam impedimento ecclesiastico impediens, fiunt licitae ex parte sponsatorum, et voluntarie et licite potest iis assistere Parochus; sine ejus enim assistentia ipsi dispensati in facie Ecclesiae contrahere non possunt. Dispensatio enim pontificia, cum impedimentum impediens tollit, non tantum tangit directe conjungendos sed et indirecte eum, qui conjungit. Nostra in causa non est de pura tolerantia sermo, sed de vera dispensatione, quae, sicut in aliis impedimentis impredientibus, E. G. in temporis clausi impedimento, facit, ut salva conscientia, id est, sine laesione conscientiae assistere potest parochus, sic et in aliefato impedimento impediens. „Si enim ut Benedictus XIV. scribit *), tales re ipsa concurrere possunt circumstantiae, quae cum ab eo, qui facultatem dispensandi habet, expensae fuerint, aditum aperiant concessioni legitimae dispensationis, cujus vi matrimonium inter partes, haereticam unam alteramque catholicam, licitum reddatur,“ nos capere nos possumus, quare parochus vel ut testis qualificatus vel ut minister Ecclesiae hisce assistere conjugesque in nomine Ecclesiae non posset conjungere.

Addit Benedictus: „Quare in locis atque regionibus, ubi hujusmodi matrimonia aliquando sic contrahi permittuntur, expedit omnino, ut Episcopus, ad tuendum Ecclesiae decorem, ritus in eorundem connubiorum celebratione servandos opportune prudenterque praescribat.“ Tridentinum enim Concilium generaliter cuique diocesi suum celebrandi nuptias ritum reliquit, et sicut nonnulli Episcopi peculiarem ritum pro celebrandis nuptiis secundis, qualem Rituale Romanum non noscit, praescripsit, ita et Episcopi pro ejusmodi celebratione mixtarum nuptiarum ritum designare possunt. Verum fateamur, oportet, ejusmodi ritum hucusque a nullo Germaniae Episcopo fuisse

*) Libr. VI. de Synod. Dioecesan. C. 5. N. 4.

praescriptum, unde ubique dissensio, ubique difformitas praxis, fere ubique laesio disciplinae. Miramur, sapientissimum Feye verba Benedicti XIV. supra citat., potuisse explicare de ritu politico. Quid ad Episcopum ritus connubiorum politicus? Nonne ex sententia Benedicti Episcopus ritus, *ad tuendum Ecclesiae decorem* praescribat. De ecclesiastico ergo ritu sermo est, non de politico aliquo.

Sed pergit Feye, Romanorum Pontificum rescripta volunt, ut ejusmodi nuptiae, quanquam licitae, ad valvas vel fores ecclesiae, sine omni ritu ecclesiastico contrahantur. Haec clausula etiam in ipso dispensationis instrumento, ut infra videbimus, habetur. Bene, optime, nec nos huic principio contradicimus. Ast liceat respondere cum Augustino Epist. supra cit. »Hoc quoque fieret, quoniam revera (quod fatendum est) fieri deberet, nisi pacis ipsius compensatione sanaretur.« Certum est, sicut de ejusmodi nuptiis licitis nullus est sermo in Brevi Apostolico Pii VIII. ad Episcopos nostros, ita et nullus de ritu et modo eas celebrandi; vult autem Pontifex, istis in casibus ita esse agendum, *ne catholicae ecclesiae creetur invidia, ne tumultus fiat, ne graviora eveniant scandala*. Nostri autem Germani, sicut non consueti, ita et non contenti *) sunt assistentia parochi muti in hujusmodi casibus, in quibus postulatis satisfecerunt Ecclesiae et dispensatio petente parochi sit subsecuta; et quanquam instruerentur, matrimonium eorum fieri et esse sola assistentia aut praesentia parochi validum, tamen plurimos, merito timendum est, esse ita constitutos, ut caeremonialem coram ministro protestantico praeferrent celebrationem prolesque futurae inde educarentur in Confessione partis acatholicae. Pericula haec incommodaque non levia annon tantum in se ferrent pondus, ut parochus prudenti non possit uti epikia et clausulas in dispensationis instrumento quasi non adjectas haberet, praesertim cum Pontifex ex iisdem causis gra-

*) Concilium Baltimoriense infra § 5. citandum concedit assistentiam in talari sacerdotali.

viores relaxavit conditiones. In nostro sane Brevis Pii VIII. proclamationes in ejusdem nuptiis conceduntur, quae alias a praedesessoribus severe fuerant interdictae, et majorem forsitan in se habent publicum, quia coram tota communitate fiunt, influxum speciemque rati habitionis et honestationis.

Notandum probe est, nos hic agere de clausulis caeremonialibus, non de conditionibus intrinsicis, a quibus recedere nemini fas est. E. G. ut omnes proles in regione catholica educarentur, ut parti catholicae liberum sine perversionis periculo concedatur exercitium, ut hae nuptiae non benedicantur benedictione, uti supra docuimus, propria et ordinaria. Inter extrinsecas caeremoniales recenseo E. G. quod ante fores ecclesiae, non in ipsa Ecclesia aut Sacristia, coram parcho ecclesiastico vestitu non ornato, sine formula conjunctionis: Ego vos conjungo etc., sine annuli benedictione contrahantur. Mos olim erat, nuptias seu potius nuptialem contractum inire ante fores Ecclesiae, uti ex Martene ex Ritualibus nonnullis Germaniae observavimus in priori Dissertatione. Hic mos adhuc in usu erat initio saeculi decimi septimi, et nemini potuit videri singulare et inhonestum quod E. G. matrimonium principis Franciae Henrietae cum Carolo Angliae Rege anno 1625 coram Cardinale Rochefaulconio, Magno Eleemosynario ante valvas sive in atrio ecclesiae, contractum fuerit. Hic mos autem post ducentos annos in Germaniae plane obsoletus, in despectum ita abiit, ut jam nemo sese huic submitteret. In nuptiis Henrietae Procurator Anglicus non ingressus templum post contractas nuptias, vel sponte vel ex jussu Cardinalis se subtraxit: quis autem Germanorum nunc protestantico sponso E. G. ingressum Ecclesiae prohibebit, licet aliunde non est consuetudo, in ejusmodi nuptiis Missam agere nuptialem. An tacite consensum utriusque partis audierit Cardinalis, vel an formulam protulerit: Ego vos conjungo, a nemine quantum scio, refertur; quae autem praecerunt solemnitates politicae et quae sunt secutae caeremoniae ecclesiasticae, accurate refert Mercu-

rius Gallobelgicus libr. 42. ad ann. 1625 *). „Postquam igitur in ponte sub Uraniscum pervenissent, Cardinalis Rochefaulconius Ducem Cheverusium, tanquam magnae Britanniae Regis Procuratorem, cum regia sponsa vinculo matrimoniali conjunxit, caeremoniis omnibus rite per punctum fere temporis peractis. Quo facto eodem ordine in templum progressi sunt, ubi hymnus Ambrosianus decantatus, mox ingens argenteae moneetae numerus per facialem in plebem promiscuam projectus, cum omnibus campanis signum datum, majora minoraque tormenta displosa, omnibus in plateis ignes triumphales accensi, atque ingenti populi laetitia regium tandem convivium celebratum fuit.“ Quali vestitu astiterit Cardinalis, non dicitur, sed supponere licet, vestitu cardinalitio, qui est sublimioris personae ecclesiasticae, sed et in signum laetitiae, pulsus omnibus campanis decantatus est hymnus Ambrosianus, qui est ecclesiasticus. Non omni ergo dictae nuptiae caruerunt ritu ecclesiastico. Porro cum dicitur: *caeremoniis omnibus per punctum fere temporis rite peractis*; an non ex hoc concludere licet, caeremonias esse a Cardinali peractas, ergo mutum non astitisse, ipse enim, ut supra audivimus, *conjunxit* eos, dubio absque verbis consuetis: Ego conjungo vos. Satis hac de re. Repetamus votum, ut Episcopi ritum pro celebratione ejusmodi nuptiarum praescribant uniformem.

§ 3.

De dispensatione in matrimoniis mixtis.

Audivimus supra ex Epistola Reverend. Domini Vicarii Generalis Trevirens. de Hommer ad Dnum Episcopum Ratisbon. Mich. Sailer, quod in nonnullis dioecesibus ab Epochā congressus Emsani, ratione dispensationis matrimonialis **) nova

*) Tom. XIII. pag. 629, utor edit. Coloniens. 1626. auctore Casparo Ens.

**) Conf. Resultat des Emser Congresses. Frankfurt und Leipzig. 1787. pag. 30. — J. Jung. Acta dispensat. episcopal. historica. Mogunt. 1787.

introducenda fuerit praxis. Scribit enim: „Bei den übrigen Vicariaten müssen noch jetzt die Pfarrer, in dem Falle einer gemischten Ehe jedesmal Dispens nachsuchen. Diess war auch in der Trier'schen Dioecese Vorschrift, und unser Ritual spricht sich ganz deutlich darüber aus. Unser letztverstorbenen Erzbischof Clemens Wenceslaus erliess aber am 5. Juni 1787 eine Verordnung, worin er erklärte: dass die ungleichen Ehen zwar, jedoch dergestalt nur zugelassen seien, wenn der protestantische Theil durch Notarial-Urkunde, oder durch eigene und zweier Zeugen Unterschrift zum Vicariat-Protocoll vorläufig angelobet habe, dass alle aus solcher Ehe etwa zu erzeugenden Kinder beiderlei Geschlechts in der herrschenden katholischen Religion unterrichtet und erzogen werden sollen. Hiernach braucht also kein Pfarrer mehr anzufragen.“ — — — Eadem praxis observabatur in Archidioecesi Coloniensi sub Archiepiscopo Maximiliano Francisco et postea Sede vacante. Cum autem per Concordatum Gallicum Archiepiscopatus Coloniensis in duas divisa est dioecesis, ita ut pars, quae ad sinistram Rheni latus jacet, ad Dioecesin Aquisgranensem recens erectam sit dimissa, praxis quoque divisa est. Vicarius enim Generalis Dnus Fonck in singulis casibus dispensationem a S. Sede petere necessarium duxit. Unde unito iterum anno 1825 Archiepiscopatu Coloniensi, sub Archiepiscopo Ferdinando Augusto de Spiegel, Vicariatum administrante Joanne Hüsken paulo alia introducta est praxis, quam sic explicat ipse Dominus Hüsken: „Die Praxis, welche hier in Betreff der gemischten Ehen seit 1825 befolgt wird, ist folgende: Ohne Rücksicht auf die religiöse Erziehung der Kinder werden die Brautleute kirchlich proclamirt. Wird das Versprechen schriftlich oder mündlich vor Zeugen geleistet, dass alle Kinder in der katholischen Religion erzogen werden sollen, so wird dem katholischen Pfarrer ceteris salvis die Erlaubniss ertheilt, der Ehe zu assistiren.“ Juxta hanc ergo praxin non requirebatur dispensatio Apostolica, sed Archiepiscopus dispensabat in impedimento impediante et

dabat licentiam assistendi *). In aliis dioecesibus alia observabatur praxis, ut videre est apud Roscovany et Al. de Sieger in Dissert.: Nullum matrimonii Sacramentum sine Sacerdote § 17. p. 145. Apostolica autem sedes, constanter sibi reservans matrimonia ejusdem mixta, dispensationem pontificiam in singulis casibus necessariam decernebat, ut licita sint ejusmodi matrimonia et ut sacerdos iis assistere possit, quod ex novissimis Rescriptis Romanis egregie illustravit probavitque Dom. Feye, et ante ipsum laud. de Sieger, proponens simul quaestionem: quare ejusmodi mandata Apostolica non observantur? Quaestio, inquit, non ita facilis decisa. Si ejusmodi litterae decretales essent antiquae et dici posset, eas abiisse in desuetudinem et extra usum, tunc capi posset, quare praxis non amplius iis correspondeat. Cum autem novissimae totiesque repetitae sunt, adhuc quoque rogatae, intelligi omnino non potest et non sumus declarando tot Episcoporum in Germania, Anglia et Hungaria agendi methodum.

Nos in priori Dissert. difficilem hanc quaestionem solve tentavimus. Supposuimus ex verbis quae continet Breve Pii VIII. ad Episcopos nostros: „Nimirum primo cum facultates aliae, quas Sedes Apostolica iisdem Episcopis delegare jam consuevit pro matrimoniis inter catholicos ineundis, ad quinquennii tempus definitae sint, declarat Sanctitas sua praedictam quoque tolerantiam ad quinquennium solummodo ab hac die 27. Martii 1830 inchoandum duraturam, et ita quidem, ut quum deinde facultates illae, quae pro matrimoniis inter catholicos delegari solitae sunt, ad aliud rursus quinquennium concedantur, non tamen idcirco tolerantia haec prorogata censi valeat, nisi ipsa quoque novo actu verbisque expressis petatur“ etc. Ex his verbis, collatis cum aliis in Brevi Apostolico ad

*) Eodem modo praxin Coloniens. describit ipse Archiepiscopus Ferdinandus Augustus in Epistola a Roscovany Tom. II. pag. 233. citata.

Episcopos Bavariae contentis *), supposui, Episcopos nostros vel petisse generalem dispensandi facultatem, vel ipsis eam fuisse motu proprio in indultu quinquennali a S. Sede datam, sicut revera data est Reverendiss. Episcopo Chersonensi, Vicario Apostolico Luxemburgensi, Domino Joanni Theodoro Laurent, ejus in indultu haec leguntur: „Dispensandi, ut licite possit Catholicus cum acatholica, et vicissim, matrimonium contrahere, privata tamen, omissis proclamationibus, extra ecclesiam et absque benedictione, et si jam contractum fuerit, in eodem licite manere, praescripta tamen conditione de utriusque sexus prole catholica educanda, et omnino cavendo, ut periculum perversionis a parte catholica amoveatur, quae omni studio acatholicae partis conversionem curare deberet.“ Malui hoc supponere, quam Episcopos nostros generalis Apostolicae constitutionis transgressionis accusare aut contemtionis. Idem supposuit ante me Amplissimus supra laudatus Aquisgranensis Praepositus Dominus Claesen in citato judicio, ubi ait: „Stellt man die Frage: ob die Bischöfe die Cognition der Sache in Betreff dieses Punctes mit *einem Male* auf die Pfarrer hätten übertragen können; so muss man auf die besondern Vollmachten, welche den Bischöfen vom apostolischen Stuhle ertheilt worden sind, hingewiesen werden; wir sind nicht im Stande hierüber Aufschluss geben zu können.“ Haec scribebat Amplissimus anno 1834, quod bene notandum est. Si porro rem hanc strictiori indagine tractare et ex agendi methodo sive praxi Vicariatus nostri Coloniensis dilucidare volumus, magis est supponendum, impedimentum impediens circa matrimonia mixta**) in nostro regno omnino esse sublatum. Cum enim prius Vicariatus Generalis ad Supplicas pro ineundis matrimoniis mixtis licitis solebat respondere: *dispensatos sponso*

*) Nonnulli, ut accepimus, affirmare audent, Catholicos posse libere, ac licita matrimonia cum heterodoxis contrahere non impetrata Ecclesiae dispensatione (quae juxta notas regulas in singulis casibus ab hac Apostolica Sede imploranda est) etc.

**) Si alias caeteris cautelis sunt munita.

declaramus, nuperrime mihi ipse Archiepiscopus ad petitam dispensationem ita scripsisse: „Ad literas d. d. 25. hujus mensis respondemus, impedimentum cultus disparitatis matrimonio inter acatholicum NN et NN. contrahendo non obstare, simul ac cautiones in Breve Apostolico d. d. 25. Martii 1830 praescriptae praestitae sunt.“ Coloniae 29. Aprilis 1847. Archiepiscopus Coloniensis † *Joannes*.

Meum autem suppositum nullo solido niti fundamento nec ullo fulciri authentico documento, affirmare non dubitavit in sua Recensione et Dissertatione citatus Feye, quod non sine stupore legimus. Studui igitur rem percontari ab alio bene instructo, qui mihi incunctanter rescripsit: in indultu quinquenniali nullum extare de facultate dispensandi in matrimoniis mixtis passum, multo minus esse sublatum istud impedimentum quanquam postulata de prolibus indiscriminatim catholicae educandis aliaque adessent. Ecce, ante magnarum confusionum stamus abyssum, quam spiritu quasi prophetico praevidens, egregiis verisque coloribus depinxit Ampliss. laudatus Praepositus Aquisgranensis in saepe citato iudicio theologico.

Visne scire originem fontemque confusionis hujus ecclesiasticae malaeque praxis? Consule conventionem notissimam Berolinens., consule instructionem secretam pro Vicariatibus de anno 1834, a sancta Sede reprobata, in quibus haec omnia punctatim describuntur. Nolumus, hisce longius immorari, ne refricare videamur inconsolabile vulnus, cujus stigma adhuc et aspicimus et sentimus. Praestat verbis concludere Innocentii Papae I.: „Salubriter providendum est, ne improba usurpatio dissimulatione in deterius convalescat, et fiat de consuetudine regula, quae non veniat ab ipsa, quae litteris mandata est, disciplina *).

Quod vero liberiori haec scripserim calamo, non mihi imputet Lector, sed Domino Doctori Feye, quem nunc, vale dicto amicissimo, dimitto, ad punctum reversurus principale.

*) Epist. III. ad Episcop. Hispaniae, apud Constant. p. 767.

§. 4.

An matrimonia mixta coram protestantico ministro valide contracta postea benedictione catholica elevari possint ad rationem Sacramenti in sensu catholico?

Ut post peractam in templo protestantico coram ejusdem confessionis ministro matrimonii mixti celebrationem, catholicam oppugnarem recopulationem ut superfluum, conatus sum, demonstrare ejusmodi recopulationem nihil in se habere gratiae sacramentalis nec posse ejusmodi matrimonium elevare ad naturam et rationem Sacramenti, in quantum est signum gratiae sanctificantis. Fallax ergo sit, oportet, tota caeremonia, quam hac recopulatione peragit sacerdos, qua decipiuntur desponsati et dehonestatur ministerium sacerdotale. Contra hanc propositionem insurrexit nonnemo, asserens, se non intelligere, quare matrimonium valide modo initum, imo consummatum postea non posset induere rationem sacramenti, remisit me ad Sanchez et ad Benedictum XIV. qui libr. VIII. de Synod. Cap. 13. dubiam saltem esse decisionem dicit. Interim hic agit Benedictus non de mixtis, sed de clandestinis matrimoniis, quae inter aliquale extat discrimen. Attamen quaestio saltem coincidit fere eadem: Audiamus ergo. In locis, in quibus Tridentinum est jam promulgatum, non raro contingit, virum et foeminam, matrimonium inter se contracturos, inopinantem parochum adire, et coram eo, quamvis invito et reluctantem, ac duobus testibus, ibidem fortuito adstantibus, mutuum in conjugium consensum exprimere, atque inde statim se subducere, quin parochus ullum, nisi fortasse objurgationis, verbum protulerit. Ejusmodi matrimonium in sententia Melchioris Cani est validum in ratione contractus; sed ob defectum sacerdotalis Benedictionis, non est Sacramentum. Ne itaque sic copulati fideles perpetua careant gratia, quae ex sacramento matrimonii in contrahentes dirivatur, deberet Ecclesia illos compellere, aut saltem hortari atque inducere ad suum contractum legitime consuetisque

adhibitis sacris ritibus, iterum renovandum coram eodem paroco, cujus verbis fiat sacramentum; atque ob eandem rationem coram sacerdote aut praeciperet, aut saltem instaurari curaret clandestina conjugia, in locis inita, ubi Tridentini decretum non est receptum. Cum autem in neutro casu conjugii renovationem ab Ecclesia urgeri videamus: non temere inde conjicimus, utrumque contractus, quanquam sacerdotis benedictione non obsignatum, jam ab Ecclesia haberi pro sacramento. Ad hanc excutiendam difficultatem, respondere possunt Cane asseclae, ideo Ecclesiam nequaquam sollicitam esse de praedictis conjugiiis, debito ritu instaurandis, quia contractus conjugii semel valide initus, nisi, cum iniretur, sacramenti naturam induerit, nunquam deinceps poterit sacramentum effici, quod docent *Durandus* in 4 dist. 28 quaest. 3. num. 14. *Vasquez* Tom. 2. in 3. part. disp. 138. Cap. 5. Tom. 4. disp. 2. de matrim. Cap. 10. alique, quos citat et sequitur *Basilii Pontius* de Matrim. libr. I. Cap. 9. num. 8. Verum hac responsione difficultatem non evadunt, siquidem alii longe plures Doctores, quos recenset et sequitur *Sanchez* libr. 2. de Matrim. disp. 9. existimant, matrimonium, quod fuit validum in ratione contractus, posse deinde renovari et assequi virtutem sacramenti, qua prius caruit. In hac porro dubietate non negligeret Ecclesia fideles urgere, ut in praedictis rerum eventibus sua connubia debito modo renovarent, ne frustrarentur ad minimum spe consequendae gratiae, quae saltem in multorum probabili et communiori sententia, ex contractus iteratione ipsis obveniret. Testatur tandem Benedictus solidiora utriusque opinionis esse fundamenta.

Ut autem lectorem lento pede ad lapidem lydium posimus deducere, liceat hic recurrere ad antiquitatem et proponere vel matrimonia disparia, quorum unus est fidelis, infidelis alter, vel paria, quorum ambo sunt infideles. Si igitur ad religionem catholicam convertuntur, baptismate abluuntur: an tunc iteratione contractus valide initi, matrimonium elevari potest ad virtutem sacramenti, in quantum est signum gratiae

sanctificantis? Egregie id oppugnat Theologus Florentinus, Albertus Pappianus *); „Infertur, neque matrimonium in infidelitate contractum fieri Sacramentum, si aut ambo conjuges baptismum suscipiant, aut alter illorum, neque si infidelis cum fidei conjungatur, cum essentia hujus sacramenti consistat, ut diximus, in mutuo expresso consensu utriusque conjugis, qui consensus cum sit quid transiens, et actu non existat, quando infideles conjuges baptizantur, concurrente baptismo non concurrat physice matrimonii materia, forma et intentio, sed neque fingi potest, quod concurrat per renovationem praesentis consensus, quia hic amplius non est in libertate conjugum, qua libertate se ipsos privarunt tempore celebrati contractus, quo etiam dederunt sibi potestatem suorum corporum. Quia vero etiam peculiare est hujus consensus, qui sit aptus ad essentiam sacramenti, ut si sit unius tantum conjugis, non sufficiat ad hunc effectum, nam Christus dominus constituit hoc sacramentum in solo contractu integro, qui talis evadit, quando illum ineunt duo Baptizati, bene concluditur, quod si unus tantum ex contrahentibus sit baptismate initiatus (aut sacramenti capax), sortiri non debet naturam sacramenti hic contractus, nam unum est in ambobus conjugibus matrimonium, non aliud et aliud.“

Argumentis his quasi facibus praelucentibus intremus antiquitatis dives depositarium. Prioribus saeculis multa novimus extitisse matrimonia, quorum conjuges ex parte aut etiam conjunctim erant gentiles vel haeretici, qui, si conversi ad fidem aut reversi ad sinum Ecclesiae, in connubio prius tabulis nuptialibus inito, sine nova copulatione perseverabant, nec ab Ecclesiae antistibus, quandoque horum conjugum filiis, cogeantur aut admonebantur ad ejusmodi renovationem christianam. Sane Gregorius Nazianzenus largissime serm. 18. et 19. describit patris sui conversionem ejusque cum Nonna post baptismum conversationem; ne verbo tamen meminit novae in Christianismo

*) *Doctrina christ. de Ss. Sacrament. Tom. II. pag. 262. Florent. 1772.*

conjunctionis, cum opportuna ipsi esset occasio. Et S. Augustinus quid refert de patre converso? Nihil aliud, quam quod Monica uxor virum lucrata sit in extrema vita ejus temporali. Pia illa mater annon curasset post mariti conversionem christianam conjugii consecrationem, si eam illo tempore ejusmodi conjugibus commendasset aut largiri non recusasset Ecclesia? Transeo plura alia exempla, quorum copiam dedi Libr. VI. P. I. §. 5. Monument. ecclesiast. quorum inter plura ex stirpe regia, ut conjunctio Clotildis cum Clodoveo Franciae rege, Berthae cum Ethelberto Angliae et Edelburgis cum Edwino Nothumbriae Rege. A nemine antiquorum refertur, ejusmodi connubia postea fuisse renovata aut christiana benedictione sacrata. Haec an tacuisset Angliae scriptor Venerab. Beda, qui plura narrat de laudatis regibus? An neglexisset S. Remigius, si id neophyto regi proficuum arbitratus fuisset aut in Ecclesia usitatum aut ab ea commendatum?

Quare non usitatum? Quia teste S. Ildephonso Episcopo *) regula Ecclesiae est, nuptiarum initia benedicere. Scribit enim contra Praedestinos: „Emendate Ecclesiae regulam, damnate, qui in toto orbe sunt sacerdotes, nuptiarum *initia* benedicentes, consecrantes et in Dei mysteriis sociantes.“ Sane Sancti patres quos plena copia laudat. Dr. de Sieger in citat. Diss. collegit, ubi agunt de celebratione nuptiarum christiana, non agunt de jamjam contractis et postea sacrandis, sed de ineundarum sacratione. Ita et omnes Synodi, veteres et recentiores. Synodus Trosleiana de anno 909. Can. 8. quam Dr. de Sieger, in quantum scio, non commemorat, decernit, ut secundum constitutionem antiquam, per benedictionem sacerdotalet accipiat, qui vult uxorem.“ Et paulo post: „Postquam omnia probata fuerint et nihil impedierit: tunc si virgo fuerit, cum benedictione sacerdotis, sicut in Sacramentario continetur, . . . publice et non occulte ducenda est uxor! **)“

*) Contra haeres. Praedestinator. Tom. I. oper. Sirmondi p. 340.

**) Tom. VI. Concil. Harduini pag. 526.

Porro scimus quidem, non ita constantem erga secundas nuptias fuisse Ecclesiae disciplinam et aliquando in nonnullis regionibus eas fuisse benedictas, pro qua benedictione etiam antiquum Sacramentarium Gallicanum a Mabillonio editum *) habet peculiarem orationem, verum contractas vel in haeresi vel in Ethnicismo validas nuptias et consummatas, postliminio a sacerdote fuisse sacratas, neque in Patribus et ordinibus liturgicis, neque in Conciliis aut historia ecclesiastica unquam invenimus aut legimus, et si legitimum ejusmodi exemplum adversarii proferre possunt, dabimus victas manus.

§. 5.

Non sine gravi peccato catholicus potest cum acatholica conjugium inire ritu protestantico.

Ratherius medio saeculo decimo Episcopus Leodiensis in libro, quem de contemptu canonum composuit, se „coepisse ait, intra secreta cordis conari, si forte invenire valeret, generalis unde contigerit canonum iste divinitus promulgatorum adeo solitus contemptus, ut neminem invenire eorum valeam curatorem.“ Et dum enumeravit quasdam ejus temporis excusationes, exclamat: „Ecce causa, ecce occasio, quam saeculi praetendunt amatores, canonum transgressores, impossibile fore dicentes, ut omnia, quae in canonibus leguntur, observentur.“ **) Quis hic non videt, nostri saeculi genium non multum discedere ab illo decimi. Dum nupera in Dissertatione protuli non nullos canones de non communicando cum haereticis in sacris, nonnulli responderunt, habita hodiernorum Germaniae statuum ac promiscuae conversationis ratione impossibile esse, ut omnia, quae canones praescribunt, observentur.

*) Musei Italic. Tom. I. pag. 389.

**) Tom. II. Spicileg. Acherii. pag. 170.

Verum notandum est, esse canones disciplinares, qui nexum habent cum doctrina Ecclesiae, alii qui *) externum liberumque respiciunt confessionis exercitium- A primi generis canonibus, qui constanter obligant, deviare non licet sine gravi piaculo, cum insimul laeditur doctrina Ecclesiae. Hos inter merito recensetur prohibitio canonica, de communicatione cum haereticis in rebus sacris, quae nititur fundamento doctrinae de vera, unice salvifica ecclesia catholica, ut observari voluerunt in Brevibus suis novissime Pius VIII. et Gregorius X. Ab apostolica quasi aetate ideo prohibita fuit ejusmodi cum haereticis communicatio. Canon enim apostolicus 57. habet: „Si quis Clericus aut Laicus ingressus fuerit in templum haereticorum ad orandum, deponatur et segregetur. **) Et in libro VI. constit. apostol. Cap. 18. praecipitur:“ denuntiate fidelibus, ut haereticos devitent, neve cum eis vel in sermone vel precibus habeant communionem.“ Hunc apostolicum canonem omni aevo retinuit et observavit catholica Ecclesia nec hodierna aetate a stricta ejus observantia recessit, et quam antiquae censurae contra transgressores non amplius ita stricte urgeantur, remanet tamen interior peccati natura.

Quare Pontifex Pius VII. rescripsit die 23. April. 1817 ad Vicarium Generalem Trevirensensem Hommer: „Si iis matrimoniis loco parochorum catholicorum ministri acatholici assistant, gravius tunc erit contrahentium peccatum.“ ***) Inde etiam Gregorius XVI. ad Episcopos Bavariae 1832. scripsit: Hinc adhortabimini fideles illos, ut serio perpendant, quantam supremo numini injuriam faciant et quam crudeliter erga se futurosque sibi liberos acturi sint, ubi nuptiis mixtis temere contrahendis se filiosque ipsos perversionis periculo committant. Atque ut gravitas periculi ejusmodi luculentius appareat, com-

*) Consule eruditam Itali Doctoris Diss. De Mutabilitate disciplinae ecclesiastic. 1791.

**) Apud Cotelierium Tom. I. pag. 446.

***) Apud Roscovany Tom. II. p. 165.

memorabit isdem saluberrima illa Apostolorum, Patrum Canonumque monita, quae sunt de periculosa cum haeticis familiari conversatione evitanda.“ Idem ipsi Pontifices etiam declarant, se ideo velle passivam parochi catholici in ejusmodi mixtis illicitis nuptiis tolerare assistentiam, ut nupturientes a graviore retraherentur peccato, a celebratione conjugii coram ministro acatholico. His vestigiis incedens Archiepiscopus Coloniensis Ferdinandus Augustus de Spiegel scripsit anno 1832. „Erfolgt die Trauung durch den protestantischen Pfarrer, so ist die Ehe auch in foro ecclesiastico gültig und unaufösbar für den katholischen Eheheil; allein sie bleibt illicit., daher der katholische Eheheil kirchlicher Ahndung unterliegt, und kann ihm nur im Beichtstuhl und durch das Sacrament der Busse, praestitis praestandis geholfen werden.“ *)

His subjungere libet instructionem et constitutionem provincialis Concilii primi Baltimorensis, anno 1791. habiti, quam Sessione quarta dedit. „Considerent ulterius parochi, quid probabilius eventurum sit, si ipsi ministerium suum matrimonio exhibere abnuerint; an hoc abrumpendum, an vero a Sacerdote catholico rejecti, ad ministrum haeticum sint sese recepturi, coramque ipso contracturi, nulla facta conventionem de futura prole. Si videatur postremum hoc probabilius eventurum, permittat illis sacerdos catholicus, ut coram se contrahant, *ne adeant ministrum haeticum*, adhibita tamen prius debita inquisitione, ne forte alia impedimenta matrimonio obstant, v. g. defectus Baptismi, Consanguinitas, aut quid aliud.“ **) Concilium provinciale IV. Baltimori 1840. habitum, cujus decretum de matrim. mixtis supra a Dno Feye extractum est, statuit in tertia congregatione privata, licitum esse, sacerdotes veste talari indutos, Episcopos insuper rochetto, epomide et cruce pectorali ornatos, mixtis connubiis adstare. ***) Aliud Concilii Philadelphiensis statutum dabimus infra §. seq.

*) Apud Roscovany Tom. II. p. 233.

**) Concilia Provincial. Baltimori. habita, pag. 14. edit. Baltimor. 1842.

***) L. cit. pag. 165.

Placuit nonnullis objicere, post has constitutiones in regione Rhenana Borussica mitiorem introductam fuisse praxin, licitumque esse parti catholicae in casu renitentiae sui parochi in mixto connubio confugere ad acatholicum ministrum, ut sic validum fiat ejus connubium, praesertim cum in dextero Rheni littore actus civilis tunc demum peragi possit, quando testimonium completae actionis ecclesiasticae fuerit prolatum. Conventio enim Berolinens. habet Art. 6. sub littera a) „Die Canones und die mehr entwickelte Praxis sind zwar nicht aufgehoben, und ausser Kraft gesetzt, allein es ist eine Art von Dispensation erfolgt, ein Nachgeben (tolerantia) eingetreten. Hiedurch ist also die *Disciplin gemildert*, und es kann hinfort nach dem Geiste der Canones und der kirchlichen Anforderungen so gehandelt werden, dass der allerhöchsten Cabinetsordre von 1825 genügt werde. b) Nach diesem Grundsatz ist der Inhalt der einzelnen Stellen des Breve zu ermitteln, und mildernd zu erklären. Insbesondere kann von Seiten der Bischöfe Alles zugelassen werden, was in dem Breve nicht ausdrücklich untersagt, oder was als zu beachten bestimmt ist, angegeben worden.“ Ex his se posse concludere putant, haud illicitum esse catholico, sui mixti matrimonii petere celebrationem a ministro protestantico, si parochus catholicus assistantiam et benedictionem renuit, praesertim cum Archiepiscopus Colonien- sis Ferdinandus Augustus suis literis circularibus 13. Octobr. 1843. datis ait. „In his itaque Responsis (Papae Pii VIII. NB. in conventionem Berolinensi explicatis), filii dilectissimi, mitiorem habemus declarationem et agendi normam, habito Ecclesiae pacis et tranquillitatis respectu ex plenitudine apostolicae potestatis datam, quam, si plane, ut decet, sequamur, in *conscientia* tuti erimus.“ — Quis hic non miretur sophisticam concludendi artem? Quae Archiepiscopus Ferdinand. August. dissertis verbis de conscientia parochi passive assistantis dicit, ipsi applicare etiam volunt pro conscientia Catholici coram ministro protestantico nuptias agere volentis. Porro ex ipso Brevi apostolico longe aliam eruit sententiam Illustriss. Pos-

naniens. Archiep. Martinus de Düin, ac Berolinenses artifices. In Repraesentatione enim ad Regem ita loquitur. „Das Breve Pii VIII. an den Erzbischof von Cöln und die Bischöfe von Trier, Münster und Paderborn vom 25. März 1830, überzeugte die katholische Geistlichkeit auch meiner Erzdiöcesen, dass die uralte kathol. Kirchenordnung über die gemischten Ehen von Seiten des apostolischen Stuhls keine Abänderungen erlitten habe, dass die hier stattgefundenen Abweichungen davon ein grober Irrthum, eine schwere Versündigung gegen Gott und sein heiliges Wort, eine Verletzung des unabänderlichen katholischen Glaubens, in summa, eine Gefährdung des Seelenheils der betheiligten Katholiken seyen.“ Tandem ipsam conventionem Berolinensem tanquam Brevi apostolico Pii VIII. e diametro contrariam, non solum ab apostolica sede omnino novimus repudiatam sed et ab ipsis Episcopis publice revocatam et reprobata, unde ea nequaquam ut norma et regula pro conscientiae securitate proponi et adstrui potest.

Tota res tamen, sic instant, adhuc in statu est, quo facta est per dictam Conventionem et secretam instructionem; sic causa universa matrimon. mixtorum juxta hanc conventionem demandata adhuc est parochis, qui agunt juxta arbitrium, inde et perpetua concertatio et difformitas praxis. — Resp. Viderint ipsi, ad quos reductio sanæ praxis et reformatio disciplinae pertinet, memores, aliquando reddituri rationem Deo judici. Non ita erat sub Archiepiscopo Clemente Augusto, qui sibi caussas matrimoniales reservavit. *) Novimus etiam, quam acerbis telis hanc universalem matrimoniorum mixtorum, quæ caussis gravioribus juxta disciplinam ecclesiasticam accensentur, delegationem oppugnavit amplissimus Praepositus Aquis Claesen citat. judicio theolog.

*) Vide ejus Epistol. apud Roscovany II, 273.

§. 6.

Nec sine gravi peccato parochus catholicus Neonuptos coram protestantico ministro ritu catholico recopulare potest.

Qui ergo catholicus cum acatholica sponsa nubit coram ministro protestantico, non nubit in domino, sed Dominum Deum publica sua actione offendit, Ecclesiae cathol. injuriam facit fidelibusque scandalum parit. Quis erit igitur minister Christi et fidelis dispensator mysteriorum Dei, qui hunc, quasi pro sacrilega actione gratias referens, ritu catholico benedicere et cum sua comparte copulare audet? Et quidem statim post peractam illam actionem, in eodem mentis et conscientiae statu consistentem? Benignissima Mater Ecclesia si publicis peccatoribus, nisi sinceræ poenitentiae signa dederint, necessaria denegat indulgentiae remedia et reconciliationem: an sine injuria patietur, iisdem dare benedictionis solennia? Inter canones, quos magna diligentia collegit Eminentis-Cardinalis Grimaldus, Aquensium Episcopus, sonat octavus; „Deneganda est absolutio (multi magis publica benedictio) peccatoribus publicis.“ Et decrevit Ss. Synodus Tridentina Sess. 24. de Reformat. Cap. 8, iis, qui scandalum publicum dederunt, donec etiam publice satisfecerint et scandalum, quantum in ipsis est, abstulerint, omnem esse denegandam gratiam, Apostolus monet, publice peccantes palam esse corripiendos: quando igitur ab aliquo publice et in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos commotosque fuisse, non sit dubitandum, huic condignam pro modo culpae poenitentiam publice injungi (et consequenter ecclesiastica beneficia denegari) oportet, ut, quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suae emendationis testimonio ad rectam revocet vitam.“

Ubi vero inter gaudia nuptialia poenitentia? Ubi inter delicias cordis dolor animi? Ab actu ad actum, a templo ad templum, exultantibus Paranympis convolatur petiturque ubique benedictio, primo a ministro protestantico qui juxta Agendae

X. Fecci

suae dictamen, in nomine *Ecclesiae suae*, desponsatos alloquens eosque jungit, dein a parocho catholico, qui manibus tenens Rituale, in facie Ecclesiae, in nomine Altissimi, sine scrupulo conscientiae, sine metu profanationis ministerii super publicum peccatorem preces ad coelum effundit votivas, repetens benedictiones veteris novique Testamenti. Graviter contra hos invitatur S. Cyprianus; *) „Emersit, fratres charissimi, novum genus cladis: et quasi parum persecutionis procella saevierit, accessit ad cumulum sub misericordiae titulo malum fallens et blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem, temeritate quorundam laxatur incautis communicatio: irrita et fallax pax, periculosa dantibus et nihil accipientibus profutura. Non quaerunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam. Poenitentia de pectoribus excussa gravissimi extremique delicti memoria sublata est, Operiuntur morientium vulnera et plaga letalis altis et profundis vulneribus infixi dissimulato dolore contegitur. A Diabolis aris revertentes, ad Sanctum Domini sordidis et infectis nidore manibus accedunt,“ hilari vultu blandaque voce a sacerdote admittuntur et benedicuntur, ut Deus illis det de rore coeli et de pinguedine terrae abundantiam, faciat videre filios filiorum usque ad quartam generationem.

Utique, ut dicitur, confessus est cathol. sponsus ante nuptias sacramque sumsit Synaxin. — Sed post hanc confessionem et sacram cibationem, nonne nova prava actione foedavit conscientiam? Et si confessus est intentione, maculatas has coram ministro protest. ineundi nuptias: nihil illi profuit absolutio, multum autem obfuit duplex sacrilegium. „Hi enim, ut nitide S. Ambrosius scribit: **) non tam se solvere cupiunt, quam sacerdotem ligare. Suam enim conscientiam culpa non exuunt, et sacerdotis induunt, cui praeceptum est: *Nolite sanctum dare canibus.*“

*) Libr. de Lapsis. pag. 377. edit. Marani Venet.

**) Libr. II. de Poenitent. Cap. 9. ni 87. Tom. II. pag. 424. edit. Maurin.

Prava et sacrilega ergo est actio sponsi cath, benedictionem petentis et sacerdotis eam dantis: sed gravior est futura, quae sequitur, perniciēs. Sacra enim hac larva omnis scrupulus pro semel et semper suppressus foribusque conscientiae fortis perpetuusque obditus est pessulus, ne unquam stimulus mordens tangere et laedere possit. Vivit ergo conjux hic in perenni culpa sub umbra acceptae benedictionis quietus, quasi agricola sub vite. Porro qui nocentibus post scelera blanditur, iudice S. Paciano Barcinonensi Episcopo saeculo IV. exeunte *), facinoris viam demonstrat innoxiiis. Quod sine reprehensione, imo gratulantibus sacerdote et testibus practicavit unus, mox practicabunt centeni alii ex classe desponsatorum. Et quo jure parochus obsequium benedictionis aut recopulationis, quod ritu solito publico praestitit primis, renuet secundis et sequentibus, si postulant id instanter? Et quod uni justum fuit et probum, sitne alteri injustum et abominandum? Provocat sponsus et sponsa ad praedecessores, excusat sese et resolvit parochus exemplo confratrum vicinorum, qui sic annuentibus fors aut tacentibus fecerunt superioribus; et tunc libera voce actio bis repetita asseritur regionis aut dioecesis consuetudo aut inculcata praxis, cum sit abusus et corruptela.

Proferri equidem scio, a quibusdam favorabilia superiorum ecclesiasticorum scripta, quibus haec consuetudo certa scientia toleratur, vid. Diss. priorem. Similem aliam novimus fuisse praxin circa matrimonia mixta tempore priori, nunc repudiatam et damnatam. Laudanda memorique perpetua commendanda est confessio Illustrissimi Archiepiscopi Martini de Dünn, contenta in literis pastoralib. ad Clerum 1838. datis: „Habe ich gefehlt, indem ich dem Bestehen der Praxis wegen unbedingter Trauung der gemischten Ehen ein Attest ausstellte, so protestire ich jetzt, da ich Wahrheit schaue und den Irrthum eingesehen habe, wider diese missbrauchsweise eingeführte Praxis.“ **) Eodem modo praxin priorem revocarunt et contra

*) Paraenes. ad Poenitent. Tom. IV. Biblioth. Patr. Colon. p. 245.

**) Apud Roscovany II. 361.

eam protestati sunt plures Episcopi Austriae, ut apud Roscovany legendum est.

Panicum excitant alii meritoque metuendum affirmant, ne, si ejusmodi recopulatio catholica penitus denegetur, sponsus protestanticus magis absterreatur a conversione, et sponsa catholica, quae levitate animi religionisque negligentia modo sponso suo cessit prioritatem copulationis, majori exponatur periculo perversionis: oportet ergo ad haec mala praecavenda aliquid indulgere. Inani huic praetextui ex parte satisfacimus priori in Diss. ad quam remittimus lectorem. Credi vix potest, protestanticum sponsum, qui a suae confessionis ministro jam copulatus est, ex catholica urgeri sponsae copulatione et ejus denegatione absterreri posse a conversione ad fidem catholicam, si prius ejus fuerit spes; Catholica autem sponsa, si non fortiori vinculo, quam titulo recopulationis adstringitur Ecclesiae catholicae, deploranda utique est, sed non connivenda, multo minus fallaci medio enutrienda. „Oportet enim Dei sacerdotem, ut S. Cyprianus loco supra cit. scribit, non obsequiis decipientibus fallere, sed remediis salutaribus providere.“

Merito obsequium decipiens dicitur recopulatio ista. Quid enim continet mysterii, quid gratiae sacramentalis? Nihil in subjecto, nihil in ministro, nihil in ipsa actione. Subjectum incapax, petit conjungi, cum vinculo indissolubili junctum est; ministrum dixeris potius joculari quam sanctificare. Agit cum copulatis, quasi non essent copulati, et sua ipsa actione aut primam copulationem in templo protestantico reprobatur invalidam, aut suam secundam habeat, necesse est superfluam et fallacem. Rideres, cum eum audires interrogantem conjugatos: *Vultis nunc inire conjugium et ut hoc confirmetur, petitis?* Et iterum: *Venistisne huc ex libera voluntate, nullo voto constricti, non coacti ad contrahendum nunc matrimonium?* Et paulo post quid respondent ante Altare prostrati hi conjuges? Mentiuntur, se non esse junctos et dicunt: *Ego te nunc accipio in meam conjugem coram Domino Deo et hic adstantibus testibus.* Et quid Sacerdos? *Et ego vos conjungo* et claudit cum precibus

actum. Liceat nunc quaerere, an fortiori, quia duplici, se vinculo alligatos putent neoconjugati et majori repletos gratia? Et parochus catholicus an judicabit, se quid sacratius praetitis conjugibus, quam primus Minister protestanticus? Ministerium utique sacratius, ideo et gravior profanatio, sed hujus ministerii nullus hic fructus, cum neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus. I. Cor. III. 7. Audiatur S. Augustinus: „Advertendum est, quoties dicit, *Ego Dominus, qui sanctifico eum*, loquens de sacerdote: cum hoc etiam Moysi dixerit, et *sanctificabis eum*. Quomodo ergo Moyses pro Domino: sed Moyses visibilibus sacramentis per ministerium suum; Dominus autem invisibili gratia per Spiritum sanctum, ubi est totus fructus etiam visibilium sacramentorum. Nam sine ista sanctificatione invisibilis gratiae, visibilia sacramenta quid prosunt?“ *)

§. 7.

Recopulationis prohibitio ecclesiastica.

Doctrinam conjunctamque cum ea disciplinam Ecclesiae, non solum ex generalium conciliorum decretis, sed et ex particularium Synodorum statutis et ex Episcoporum, praesertim summi Pontificis constitutionibus rite probari, quisque credit et profitetur Catholicus. Synodi enim particulares si consensum approbationemque habent Romani Pontificis, sicut et constitutiones Episcoporum si conspiraverint in decidendis quaestionibus de usu licito aut illicito, maximam semper habuerunt auctoritatem. Hoc modo dubiae decisaе sunt quaestiones, dissensiones sopitae, abusus suppressi.

De nostra quidem recopulationis quaestione non habemus solemne apostolicae sedis oraculum, sed cum summi Pontifices generaliter prohibent, ne matrimonia mixta sacra benedictione

*) Libr. III. quaest. in Levitic. quaest. 84. Tom. III. Part. I. p. 524.

sacerdotis cohonestarentur, multo magis ecclesiastica eorum recopulatio interdicta sit oportet, uti concludimus in Diss. priori. *)

Proferre tamen possumus Synodi dioecesis hae de re decisionem. Haec est secunda Philadelphiensis habita ab Episcopo Francisco Patricio Henrich anno 1842. diebus Maji 22 — ad 26. — Cap. 12. dicitur. „Quum matrimonium sacramentum magnum est in Christo et in Ecclesia, rite semper et sancte celebrandum est. Graviter ergo peccant, qui, sacerdotum neglecto ministerio, coram magistratu civili, gravius adhuc, qui coram praecone Protestantico, illud contrahunt. Vehementer quoque reprobamus eorum agendi rationem, qui in matrimoniis mixtis coram sacerdote catholico prius contrahunt, et postea coram praecone; vel viceversa. Nullus sacerdos in hac dioecesi adsistat matrimonio eorum, quos sic agere velle noverit. Cum enim matrimonia coram sacerdote contracta etiam in foro civili valida habeantur, nulla legitima causa hic intercedit, cur se coram ministro acatholico sistant. Ut autem, quantum possumus, fideles ab illicitis his matrimoniis deterreamus, decernimus, ut quicumque posthac coram praecone Protestantico, in quocumque casu, matrimonium contrahant, excommunicationis sententiam nobis reservatam ipso facto incurrant.“ **)

Ante hoc concilium modo 1790. in Viennensi et Lincensi dioecesibus isthaec recopulatio erat interdicta. Articulus enim sextus Projecti, quod adfert Roscovany Tom. II. p. 695. dicit: „Recopulatio personarum quaestioni religionariae obnoxiarum prohibetur, Curatusque, qui talem in obversum art. 26. 1790/1 §. 15. scienter peregit, tanquam officio suo abutens secundum strictam juris viam in quaestionem trahetur.“

*) Conf. additam Gregorii XVI. Epistolam ad Archiepiscopum Friburgensem de 23. Maji anno 1846.

**) Constitutiones dioecesan. in Synodis Philadelphiensibus annis 1832 et 1842. latae et promulgatae. Philadelphiae. Ex typis M. Fithian 1842.

Porro inter dubia Primati et Episcopis Hungariae 16. Novembr. 1840. proposita est secundum: „An mulieri catholicae post matrimonium cum acatholico viro ita, prout sub Num. I. queritur, initum benedictio postnuptialis, ubi illa in usu est, item introductio in Ecclesiam post puerperium administranda erit. Resp. ad 2. Introductio seu benedictio talium conjugum post nuptias tam parum adhibenda est, quam parum adhiberi potuit benedictio tempore celebrati matrimonii; haec enim utrobique approbationem auctoritate Ecclesiae factam indicat. Introductio autem puerperae cum prole, quae apud catholicos baptizata est, et Ecclesiae catholicae succrescit ejusque membrum futura est, fieri omnino potest, et preces pro hoc actu praescriptae absolvi possunt; hic enim ritus ipsam matrimonii approbationem non importat, sed ad prolem ejusque matrem, quae ambae Ecclesiae catholicae membra sunt, Deo commendandam refertur. Interest praeterea, ut hujusmodi catholicis matribus occasiones non desint, quibus ad illa quae istis qua catholicis matribus incumbunt, explenda reflectantur. Idem nihilominus in casu, quo prolis apud acatholicos baptizari debet, et ab Ecclesia catholica abstrahitur, fieri nequit; quomodo enim is, qui ad Ecclesiam catholicam non pertinet, in hujus gremium religioso ritu introduci et praesentari possit, non apparat. Ne tamen catholicae matres hoc in casu repulsam ferendo, confusione alicui exponantur, indeque ab Ecclesia catholica magis alienae reddantur, ipsas praevidere de hoc disciplinae capite omni cum discretione admonere, coque instruere oportet, ut pro introductione in simili casu ad Ecclesiam catholicam venire nolint.“ *)

*) Apud Roscovany II. 732.